




C H R I S T O P H O R I  
S T A Y  
DE POESI DIDASCALICA  
D I A L O G U S





CHRISTOPHORI STAY  
DE POESI DIDASCALICA  
DIALOGUS



**E**TI cæteræ omnes doctrinæ parvis primum ortæ ini-  
tiis fuerint, ac levibus incrementis paulatim auctæ,  
tamen unius poetarum artis principia ipsa tam illustria  
extiterunt, ut Diis, deorumque Liberis auctoribus tribue-  
rentur. Nimirum illa suavitatis novitate, ac rerum nun-  
quam antea cognitarum admiratione capti homines, ar-  
tem, & artifices, quos humani ingenii excedere vires  
crederent, facile consecraverunt. Sed neque deinde,  
cum poetica multorum usu ac studiis excoleretur, aut  
consuetudine ipsa fuit ejusdem existimatio imminuta, aut  
illa divinitatis opinio sublata. Qui enim omnium animos  
tam mirifice allicere, ac tenere possent, non sine divino  
afflatu id assecutos putabant. Unde proprios etiam ac  
certos Deos inflammandis poetis adjunxerunt. Verum hæc  
ipsa diuturna admiratio multorum tandem solertiam, ac  
gravium etiam philosophorum animadversionem excitavit:  
qui accurate perspectis atque observatis excellentium poe-  
tarum artificiis, viisque, quibus incederent, quas ratio-  
nes tenerent, penitus investigatis, si minus mirabiles,  
veriores tamen eximiae facultatis causas quæsiverunt. Atque  
eorum quidem in eo multum versata est industria, ut qua  
in re potissimum vis ac natura poeticæ contineretur, do-  
cerent. Unde variæ, interque se discrepantes plurimorum  
opiniones sunt exortæ, quando alii in numeris concentu-  
que carminis inesse omnem poetarum præstantiam, alii in  
fabularum elegantia, in naturæ imitatione alii positam es-  
se contenderent. Qua in controversia, et si multa acute  
solerterque dicerentur, illud tamen minus commode acci-

dit, quod nonnulli sua de sententia ne recederent, artis ipsius magnitudinem, nullis datis philosophiae partibus, imminuerunt. Siquidem poeticæ, quæ sapientiae coniunctione maxime creverat, a doctrina omnino segregandæ auctores fuerunt. Nam qui fabulis, aut actionum humarum simulatione contineri poeticam defendunt, hi poetas a philosophia aut prorsus revocant, aut, indulgentiores ut sint, fabulis occultandas disciplinas præcipiunt. Qui secus fecerint, seu qui perspicue philosophiam versibus tradendam suscepserint; poetarum societate interdictum his esse pronunciant. Ita uno verbo, eos omnes, quos Μιθασκαλος dicimus, a poetarum numero exclusos volunt. Contra horum sententias plerique sanc doctissimi Viri veterem poeticæ, ac philosophiae cognitionem cum tuerentur, plurimis & rationibus, & exemplis ejusdem sive retinendæ, sive redintegranda utilitatem dignitatemque comprobarunt. Quibus de rebus mihi etiam sœpe multa sunt quæsita, & nuper fuerunt cum eruditissimis, mihi que amicissimis viris Antonio & Balbo accuratius disputata. Apud A. enim cum essem, eaque de re forte exortus esset sermo, paulatim, ut in differendo sit, quidam nos orationis ardor in intimas illius controversiæ partes induxit. In quo illud etiam gratissimum fuit, quod inde singularem A. in his etiam elegantioribus litteris intelligentiam intuerer. Nam illum quidem multis esse ac gravissimis disciplinis egregie instructum ex summa, quæ mihi cum illo intercesserat, necessitudine satis noveram. Siquidem quotidie fere una cum aliis eruditis viris, quorum familiaritate utebamur, sive illum conveniebam, si ve ad me ille commeabat. In quorum consuetudine cum elegantissimorum hominum sermonibus omni urbanitatis, ac litterarum suavitate conditis plurimum fruebar, tum ipsius A. insignem doctrinam potissimum admirabar. Sed tantam in illo inesse politicorum etiam studiorum scientiam nunquam certe animadverteram, quantam ex ea, quæ inter nos fuit orta his de rebus controversia, perspexi. Nam cum maturius, quam cæteri solerent, ad illius domum me contulisset, eodem advenientem offendit B. eximiae indolis juvenem, quiue ad excellens ingenium parem diligentiam, ac discendi.

cupiditatem adjunxerat. Quapropter libentissime sese ad A. applicaverat. At A. quo illius desiderio obsequeretur, incidere interdum hujusmodi de litteris sermones non ægre patiebatur, ut de doctrinarum studiis præclare & ipse multa afferret, & alacre B. ingenium ad cogitandum, ac dicendum commoveret. Itaque cum A. tum unà adiissemus, in legendo, & commentando non mediocriter intentum ac defixum deprehendimus. Cui B. vereor, inquit, ne minus opportuni simus, qui tam occupatum interpellamus. Vos verò, inquit A., percommode adiellis; ab ea enim, qua distinebar cura, non tam sevocatis, quām ad illam mecum partiendam acceditis. Hesiodi Theogoniam paulo attentius perlegebam: siquidem vetustissimum ac in primis nobilem poetam considero tanquam præclarum quoddam religionis ac doctrinæ illorum Græciæ temporum nobis reliquum monumentum. Quot enim in illo, quām insigne de divina vi, ac natura, quot de elementis, ac rerum causis, quām suavibus fabulis inclusæ sententiae! Sed hoc loco vetus illa didascalici carminis, & doctrinæ allegoriis obtegenda ratio occurrebat animo, ac mecum cogitabam, quanta in hoc poeticæ genere commutatio deinde esset consecuta, cum amplificatis doctrinarum studiis ipsa rerum obscuritas, ac difficultas ab ea fabulandi consuetudine poetas retraxisset. Tum B. at cur, inquit, non pristinum hunc motem deinceps etiam retinere potuissent, aut cur nostri nunc homines repetere vetustam illam musarum ingenio magis accommodatam rationem, ac redintegrare non possint? Equidem ut arbitror, tunc multo ornatiōr hæc poeticæ pars erit, atque ex animatis his fabularum simulacris sensus & vita quodammodo, ac magna certe carinībus vis accederet ad amovendam omnem disciplinæ molestiam, & obscuritatem doctrinæ. Tum A. quis, inquit, non tibi istud assentietur, miram esse suavitatem fabulis, si lucem rebus afferant? Sed quam quæso unquam viam reperiri putas, qua obscuras res etiam ac difficiles quipiam expedire, ac illustrare fabulis possit? Unde tantam fabularum supellecīlem accerset, quæ par sit tam multiplicibus, ac tam variis exprimendis doctrinis? Ac si quis

singularis ingenii facultate id etiam assequetur, quo tamen pacto efficiet, ut quæ ita fingendo involverit, ea facile ab aliis intelligantur? Sint enim aliquæ mitiores doctrinæ partes, quæ fortasse isthæc involucra non omnino respuant, verum si de difficilioribus naturæ causis erit agendum, censesne res sua sponte impeditas, fabularum accessione non impeditiores etiam atque obscuriores futuras? Tum B. At ego, inquit, obscuris etiam rebus magnam inde lucem adfuturam mihi persuadeo. Quippe illa ipsa alienæ formæ similitudo quantum valet ad hominum ingenia excitanda! Proinde isthæc fabularum latebris includendæ veritatis solertia mihi videri solet præseferre quandam illius, quæ in Virgilii Bucolicis est, puellæ speciem fugere ac latere velle se idcirco simulantis, ut & investigandi sui cupiditatem aliis injiciat, & inventiendi jucunditatem acriorem. Tum Ego, atqui miram hanc omnem, inquam, acuendæ intelligentiæ vim, quam dicis inesse fabulis, nulla re aptius, quam ipso fabularum exemplo refutari posse opinor. Ne recedam longius, Hesiodi, quem cæteris ad imitandum proposuisti, testibus utar fabulis. Quid enim iisdem obscurius, quid incertius? Neque nobis has tenebras temporum, quibus ab illo recedimus, longinquitas attulit. Æque in illo explicando discrepantes eorum etiam sententiæ fuerunt, qui ab illius ætate multo propius aberant. Scimus Zenonem Stoicum in ejus fabulis interpretandis sustulisse omnino receptas illas cognitiones deorum, & rebus inanimatis ac mutis docuisse hæc tributa nomina. Quid igitur nostri poetæ sibi polliceri nunc possint, quando iste fabulandi usus, tanquam Egyptiorum ænigmata, tandem obsoleverit? Quamobrem si quis nunc fabulas in rebus præsertim difficilioribus explanandis revocet, meo iudicio perinde faciat, ac si incertas ac dubias rerum notas magis ad divinandum, quam ad intelligendum proponat. Tum B. Quid causæ est, inquit, ut ob varians Hesiodi interpretationem totum fabularum genus in invidiam adducas? Usuvenire enim facile potuit, ut ejusmodi fabulas suis versibus Hesiodus includeret, quæ tunc ipsa sermonis consuetudine faciles aperteque essent, quarum de-

Inde cum intercidisset usus, intelligentiam, quæ sequerentur, ætates non tenerent. Sed fabularum suavitatem si probamus, non est, cur ob hujusmodi latebras sint rejiciendæ. Siquidem huic obscuritatis incommodo mederi nullo negotio possumus, si ejus generis fabulas usurpemus, quæ non arbitratu cujuspam, nec opinionum, aut morum inconstantia efficitæ sint, sed ab ipsa naturæ similitudine ac veritate depromptæ. Eædein enim neque intercidere unquam possunt, neque obsolescere. His velut à natura impressis notis ac vestigiis cum insilient poetæ, facile ac jucunde ad res cognoscendas nos deducent. Quare in conficiendis suis fabulis volo, ut has arripiant, ac sequantur, ex quibus appareant, quæ in rebus insunt, similitudines, ac propinquitates. Has dum inter se component, atque aliarum vultus ad alias transferent, atque immutabunt, ea ipsa alienæ imaginis inducta specie mirum in modum intelligentiam atque animadversionem legentium acuent. Exemplo antiquissimæ Pythagoreorum fabulæ rem apertiorem faciam. Non ignoras, quæ vis, quæ significatio illorum harmoniæ fuerit, atque illa Phœbi imagine Musas cithara in orbem moventis, quām apte omnem gravitatis doctrinam comprehendent, ac pene subjecerint oculis. Quod quidem quo alio artificio fuit a Pythagora perfectum, nisi similitudine fidium ad planetarum motus exprimendos traducta? Nempe cum miram utrinque consensionem existere deprehenderet, intervalla intervallis, sonos motibus congruere, hæc inter se commutanda esse duxit, siderum cursus Phœbi ac Musarum specie vestiendos, fabulæ hilaritate condidam doctrinam. Hunc in modum musicarum rationum effigie leviter ac venuste adumbrata cælestium conversionum naturam ac mores expressit: ut quæcumque de illa trahendi vi, & gravitatis legibus deinde fuit comperta, universa fere sub hoc uno fidium involucro fuisse inclusa videamus. Quare cur cæteræ etiam philosophiæ partes sane minus difficiles atque involutæ, æque explicari non possint, cum hæc tam obscura ac multiplex gravitatis ratio fuerit unius fabulæ adminiculo tam commode exposta? Tum A., egregii sanc, inquit, exempli tibi in mem-

tem venit, & quo uno controversiam omnem facile conficces, si de occultandis doctrinis, atque eo fabularum integrumento celandis quereremus. Quamquam enim hic (me intuens atque arridens) inde ullam hujusmodi ne conjecturam quidem faceret: sed post stellarum conversiones diu perspectas. & illas gravitatis vires ex ipsa cæli observatione tandem patefactas tum primum harmoniæ similitudinem siderum motibus accommodatam fuisse, & post eventum nos Ædipos esse, cœpisse tecum contendere. Ambiguas res nimirum facile ad quamcumque partem flectimus, utque lucos ac prælia in nubibus, sic in veterum fabulis multa, quæ illi ne suspicati quidem fuerunt, intuemur, atque in illis interpretandis plus nos ipsi fingimus, quam illi in lucubrandis. Sed pugnare tecum nolo, liberalius etiam agam, & concedam illo fidium involucro fuisse revera omnem gravitatis doctrinam, ac duplicitas reciprocas, ut vocant, illas etiam rationes, si ita placet, inclusas. Verum ad illud, de quo agimus, quantum id referet? Neque enim disputamus de illo fabularum genere, quæ, quasi mysteria quædam ad doctrinas ab oculis hominum amovendas erant institutæ, neque inficiamur istiusmodi fabulis difficiles etiam disciplinas implicari quoquo modo posse, atque involvi. Unum hoc defendimus: quo magis fictis his commentis involutæ sint, eo impeditiorem earumdem intelligentiam fore, atque ita fabulas ad occultandam philosophiam oportunas esse posse, ad illustrandam non posse. Quare Pythagoreis relinquamus hunc fabulandi morem: nos si a didascalicis illutrari philosophiam volumus, isthæc integrumenta ab eorumdem versibus arceamus. Quo enim pacto fabulae veritatis interpretes esse possunt, si ipsæ interpretes alio interprete indigebunt? Nam si ob suavitatem carminis adhibendas censes, qui quælo lepor, quæ jucunditas ex obscuritate ac tenebris exoriri unquam potest? Perspicuitatem enim præsertim cum de abditis rerum causis erit agendum, primam dicendi virtutem esse judico, utque egregiæ picturæ, sic omnem scribendi laudem intercipi, si luce careat. Atque hanc unam ob causam opinor fuisse fabulas a veterum sapientium carminibus paulatim rejectas,

atque

atque ab Empedocle, Parmenide, atque aliis Italicæ disciplinæ philosophis idcirco hunc apertis versibus philosophandi usum fuisse demum introductum. Tum B. acriter oppugnari me, inquit, & loco pene dejici faterer hac obscuritatis calumnia, atque his Empedoclis, atque Italicorum exemplis, nisi opportune occurreret, quem subsidio advocare, & cuius judicio fabulas tutari facile possim. An Platonis vobis in mentem non venit? Nonne uno illius exemplo omnem hanc Italicorum auctoritatem, & omnes abrogandæ fabulæ rationes prorsus labefactatas videtis? Quis enim unquam non solum philosophorum, sed etiam poetarum est æque atque ille istiusmodi fingendis ac fabricandis commentis delestatus? Itaque ob idipsum comminiscendi studium Homerum philosophorum nuncupatum fuisse opinor. Tum A. imo, inquit, Platonem totum a nobis esse judico. Quando enim isthæc fabularum ornamenta, nisi in facilitioribus argumentis adhibet? Sed cum ad obscuriores rerum causas explicandas interdum delabitur, quam accurate omnem comminiscendi licentiam removet! quam aperte omnia, quam nude pronunciat! Illius, quæ in Timæo est, de universitate naturæ, disputationis velim recordere. Quod magis a fabulis remotum atque alienum esse potest loquendi genus, quam quo ille difficilem de corporum elementis questionem exponit? Quo planius res expediatur, nonne arithmeticæ etiam numeris, ac geometriæ figuris utitur? nonne iisdem verbis explicat, quibus in iis artibus tradi solent? Cujus igitur rectius, quam Platonis auctoritatem nobis vindicemus, qui cum isto consequendæ fabulæ studio traheretur, omnem fingendi rationem in obscurioribus rebus explicandis deserit atque abjicit, & recipia identidem dictum illud comprobat, quod usurpare erat solitus: veritatem nimirum fabulis omnibus esse suaviorem? Tum B. ægre, inquit, Platonis auctoritatem extorqueri mihi paterer; neque enim, opinor, complura mihi illius exempla deesse possent, si philosophorum testimoniosis nobis esset pugnandum. Sed quid attinet in iis immorari, quando poetarum mores exquirimus? Quare cæteros omittamus, & horum tantummodo exem-

pla intueamur. Tum A., quid si eos, inquit, nihilo aquo-  
res sis habiturus, & eorum etiam subsidiis desitutum te-  
sentias? ac non unum aliquem e populo, sed ipsum la-  
tinorum poetarum principem testem adhibeo. Pervul-  
gatos & pulcherrimos Virgilii de Anima Mundi versus  
velim in memoriam revoce. Nonne apertissime Stoico-  
rum sententiam exponi, & omnia fabularum involucra  
removeri vides? Alios etiam Georgicorum, & Bucolicorum  
locos recordere: nam & Silenus Epicureorum more  
philosophantem, & causas rerum aperte ubique expli-  
catas agnosces. Hoc loco B., quidem, inquit, nun-  
quam Virgilium tot locis, tamque constanter in difficil-  
lioribus doctrinis refugientem fabulas animadverteram. Tum  
ego, at eundem, inquam, hunc morem rejiciendae in re-  
bus obscuris fabulae fuisse aequa constanter omnium lati-  
norum poetarum usu comprobatum facile possem ostendere.  
Sed ad Virgilii auctoritatem unius Ovidii exem-  
plum adjiciam: est enim fortasse ceteris omnibus ad pro-  
bandum accommodatius, quippe a poeta fabularum stu-  
diosissimo desumptum. Meministine ejus uberes illos,  
ac luculentos de Pythagoræ Metempsychosi versus? No-  
sti quam enucleate, quam diu in omni illa expedienda  
doctrina immoretur? Nonne, quasi lege aliqua impeditus,  
quæ vetet doctrinis immisceri fabulas, in medio fa-  
bularum æstu instituti sui repente immemor missas facit al-  
legorias, & rem omnem illis fingendi integumentis ex-  
foliatam ac nudatam explicat? Hoc loco A., quidni igi-  
tur, inquit, controversiam jam omnem sublatam confi-  
temur? & poësis cum data opera se se ad disciplinas ver-  
sibus illuitrandas convertunt, ab omni fingendi licentiā  
abstinendum statuimus? Nam cum iis quidem, qui levio-  
ra ac faciliora argumenta pertractant, indulgentiores esse  
possimus: in manifestis enim rebus nihil lucis, accessio-  
ne fabulae, detrahitur, jucunditatis vero non parum ad-  
jungitur. Sed hujusmodi festivitates a gravioribus doctri-  
nis omnino removendas censeo, & tanquam inutiles or-  
natus in palestra adhiberi solitos, in veris certaminibus,  
quia oneri sunt, motusque corporis impediunt, abiciendas.

Tum B., me sane, inquit, tam luculentis exemplis a tuen-  
da

da fabula pene retraxistiſ; ſed illud vereor, ne ſi didaſcalicis fabulas omnino tollimus, unā omneim, quæ poe- tarum eſt propria, vim, & nomen iſum adimamus. Scitis enim quam multi, neque ii quidem indocti, ſacra potius ſine cantu ac tibiis, ut ajunt, quam poetam ſine fabulis eſſe poſſe aſſirmant. At nos, inquit A., non levio- rem Hesiodi, quem paulo ante legebam, auctoritatē illis opponemus. Ait nimirum in Aſcræ vallibus a ſeſe audi- tas eſſe Muſas, cum proſiterentur, noſſe ſe multas dice- re verofimiles fabulas, ſed veritatem iſam item noſſe, atque etiam malle dicere.

Ι' Αμεν Υένθιε πολλὰ λέγειν ἐπύμοισιν ὄμοια·  
Ι' Αμεν οὐκέτι ιθέλωμεν ἀληθέα μυθίσασθαι.

Ipo muſarum teſtimonio aperte philoſophandi rationem, ut vides, tuetur: ſed quo demum vocabulo didaſcalicos appellemus, non magnopere laboraverim. Placet illa Adiſſoni in refellendis Miltoni obtreſtatoribus urbanitas, qui negabant illius poema heroicum eſſe nuncupandum, propterea quod primæ poematis partes Deo eſſent aſſignatae; at vos, inquit, ſi heroicum dici minus lubet, diuinum appellatote; ita Didascalici, ſi minus fabulæ, veritatis ac ſapientiæ poetae per me licet nuncupentur. Tum B., ne ego quidem, inquit, controverſia nominiſis magnopere torquerer, niſi rem iſam in hac verbi conten- tione agi viderem, & poeticæ vim omneim ac naturam in diſceptationem vocari. Si enim fabulas non ſua iſa- rum cauſa a poeſiis conquirendas putas, tamen oportet, ut ob eam imitandi neceſſitatem, qui eſt præcipiuſ poe- ſiſ finis propositus, retinendas fateare. Scis enim pleros- que cenſere omneim poeticæ præſtantiam in humanarum actionum imitatione eſſe positam, hujus autem imitationis tanquam ministris eſſe, atque effectrices fabulas. Quo- rum quidem ſententia, eti mihi aliquam dubitationem af- ferre ſoleat, tamen magnopere moveor, cum conſidero eandem imitandi legem ab ipſo poetarum Reipublicæ quaſi conditore Aristotele latam eſſe. Qui propterea Em- pedoclem, quod nullis adhibitiſ fabulis ab hac imitandi

norma recessisset, & nudis versibus philosophiam esse persecutus, a poetarum civitate excludendum sanxit. Quid quod idem germanani imitandi rationem illam esse statuit, cum poetae eos ipsos, de quibus agunt, loquentes inducunt. Si ab hac alienæ personæ ac sermonis simulatione quidpiam recesserint, resque gellas per se ipsi narrandas suscepint, narratores tum esse, non imitatores, nec poetas appellandos pronunciat. Quare quid Didascalicis sit? Quid ex eo poetarum artificio reliquum illis erit? cum non modo in nulla actionum imitatione versentur, sed ipsa etiam hujus imitationis quoquo modo simulanda instrumenta fabulas illis auferamus. Tum A. me etiam, inquit, vellementer moveret, ac frangeret Aristotelis auctoritas, quem poetices conditorem jure nuncupas, & quem æque aliarum complurium doctrinarum artificem appellare possumus, cum tot disciplinas antea dispersas ac dissolutas suminæ ingenii solertiæ primus constrinxerit, in artemque redeget. Sed quo magis præclara atque egregia omnia de hoc artium moderatore sentio, eo difficilius mihi in animum possum inducere hac illum mente fuisse, ut poetarum studia ullis brevioribus spatiis, quam naturæ ipsius amplitudine circumscriberet. Nam si ex hac rerum universitate exclusos ad humanarum actionum imitationem quasi in exiguum gyrum compulit, & si ad illas, quas commemorati, imitandi leges eorum præstantiam æstimare oportebit, jam Homerum ipsum, quem aliquin ceteris omnibus prætulit, post mimorum etiam, atque Atellanarum scriptores ponamus, necesse erit. Nimirum poetam tum illum dumtaxat appellabimus, cum alios loquentes inducit: illam autem ejus poematis partem longe majorem atque ampliorem, in qua nullo alieno indicato sermone ex se ipse nobis deorum atque hominum facta, mores, ingenia mirifice exprimit, credo, repudiamus, nec proinde imitatorem nec poetam ibidem illum esse censemus? Tum B. sed fortasse, inquit, Aristoteles non tam poetas, quam genera ipsa poematum exquirens, interque se comparans illud intuebatur, quanam in re potissimum vim naturamque carminis poneret. Quæ si in hoc sita est maxime, ut nos æque moveat, ac si

oculis atque auribus res ipsæ in animos influerent, nihil proprius ad hanc aurium atque oculorum fidem accedit, quam hæc alienæ personæ ac sermonis imitatio. Atque idcirco, opinor, perfecti poematis exemplar, verasque imitationis sedes tragœdias esse statuit. Nam etsi poetæ alias etiam habeant, quas sequi possint, reram effingendarum rationes, tamen, si ab hac una alieni sermonis inductione recesserint, describere illos tunc potius, quam imitari dixeris. Hic A. sed si hac, inquit, describendi opera ita nos commovebunt, ut res ipsæ, si objicerentur sensibus, non acrius percellerent, quid interest describere ne, an imitari istud dicamus? Quid enim refert, an alieno sermone, an carminis vi, cæterisque artis miraculis moveamur? Non Oedipum ipsum, cum fæse Laii interfectorum fuisse comperit, in scena ejulantem, sed ab aliis narrari illius luctum audimus, neque tamen idcirco minus exhorrescimus. Tam apte est enim doloris illa vis, tam ad veritatem naturæ descripta, ut audire lamentantem, ac fibula sibi ecellentem oculos videre videamur. An Briseidis ab Achille discedentis dolorem una Homeri versiculo descriptum non melius intelligimus, quam si diutissime conquerentem induceret? An ulli sermones viam potestatemque deorum tantopere exprimere possent, quam cum Neptunum duobus passibus ab Eubœa ad Lemnum pertingentem, aut Jovem pro Trojanis ab Ida propugnantem divini poetæ versus pene oculis subjiciunt? Sed ut hominum, ac deorum actiones omittamus, cum ad alias naturæ partes ab omni sensu intelligentiaque remotas se fæse convertit, ac cæli terræque regionibus ob oculos positis mundi totius aspectu mirifice nos detinet, num imitatem tum illum omnino desinere esse censemus? Num omnem istam imitandi, nostrique percellendi rationem solis humanarum actionum finibus concludeimus, perinde ac ad cæteras res nullas, cum ad naturæ similitudinem expressæ sint, ista nostrorum afficiendorum animorum virtus permanaret? Nam cum in hac rerum universitate permulta sint inanima quidem, nulloque sensu prædita, in quibus tamen plurima vis inest, sive magnitudine, sive ordine, sive alia multiplici ac varia specie nos commo-

vendi, satis erit manifestum in earundem rerum imagine exprimenda magnam &que poetis reliqtam esse copiam ad voluptatem, tristitiam, admirationem, aliosque sensus in nobis excitandos. Idemque tum tandem germani imitatores erunt putandi, cum hanc universæ naturæ imitationem fuerint assecuti. Siquidem etiam tenuiorum artificum, quos ob hujusmodi imitandi studium tacitos poetas appellamus, laudamus industriam; & quibuscumque in rebus naturæ similitudinem effinxerint, tanquam præclaræ imitationis exempla commemoramus: unde Mironis vaccam, Apellis equum, uvas Zeuxidis, linteum illud demum Parrhasii adhuc recordamur. Sed quanto præclarior est poetarum laus, qui cæteris omnibus ampliores habent imitandi fines propositos, neque singulas levesque tantummodo res, sed universas ac maximas miro artificio possunt effingere, atque omnem conspectum & imaginem naturæ quasi tabulam nobis ad intuendum propnere? Itaque hanc infinitam naturæ imitationem illis esse attributam, eorumque facultatem his pene inimensis vagari finibus ab Aristotele fuisse animadversum etiam sine ullis testibus ob singularem illius ingenii magnitudinem mihi satis persuadeo. Sed id ipsum locupletissimo Laertii testimonio nobis etiam est proditum. Ait enim Aristotelem in eo, quem de poetis scripsit libro, luculenter fateri, optimis quibusque dicendi modis, ac poeticis figuris Empedoclis versus esse egregie iniuctos, ut proinde Empedoclem homericum omnino esse affirmet. Verum hanc Aristotelis in judicio de Empedocle ferendo varietatem inde profectam esse existimo, quod in suis de poetis libris universum de omnibus rebus dicendi poetarum artificium exquireret; in eo autem, qui unus e multis reliquis est illius poetices liber, ut Socrates philosophiam, sic ille poeticam a mundo ac cælo ad mores transferens sola humanarum actionum, quam Epicis ac Tragici sequuntur, imitatione constrictam expendat. Tu vero, inquit B., præclare & summi viri prudentiam ab omni iudicandi inconstantia vindicasti, & scrupulum mihi quendam ac dubitationem, quæ ex hac imitationis legè residebat, animo examisti; & agre enim adduci poteram, ut

Vir-

Virgilii Georgica ob eam imitationis inopiam non divini poetæ opus existimarem, aut ipsum Lucretium tametsi sedulo, ac naviter philosophantem, ob sublimem ac singularem illam dicendi rationem, non item homericum, ac summum poetam credere. Quid multa? ipsos epicos, & grandiores poetas non ad solam illam imitandi normam putabam exigendos: aliud quiddam majus atque amplius esse oportere arbitrabar, unde suos illi cultus, suosque ornatus accerserent. Siquidem noveram Trissini poemam illud quidem ad constituendæ fabulæ leges & ad Iliadis exemplar accuratissime compositum in bibliothecis pene delitescere; Areotti vero Orlandum veterum vestigiis non tam follicite insidente, ac nonnunquam ab ipsa veritate naturæ ultro aberrantem, tamen ob mirum illud dicendi genus videbam in manibus omnium esse, ac meipsum illis deliciis, ac pene præstigiis rapi, atque allici sentiebam. Tum A. quare sublati atque exsoluti his tanquam nodis, quid dubitabimus jam illud statuere in humanarum actionum imitatione non esse reponendam omnem poetarum laudem. Evidem illud etiam adjunxerim, ne in ipsa quidem ampliore naturæ imitatione illam esse unice possem; & quanquam hæc naturæ veritas ac similitudo poetæ solum ac fundamentum sit, non in illa una tamen esse omnia, sed ab alio fonte derivandam singularem illam vim ac præstantiam. Ac si dicendum est, quod sentio, hanc præsertim locandam arbitror in illo poetarum proprio cogitandi ac dicendi genere, quo ita jucunde omnia admirabiliterque exprimunt, nihil ut esse possit nec ad res cognoscendas pulchrius, nec ad legendum delectationem præclarius. Qui istiusmodi ornatu compti instructique sunt, hi sanc in quascumque naturæ regiones ingrediuntur, sive de hominum actionibus, sive de rerum initiis, sive de administranda Republica, sive de Religionum sanctitate agant, quodcumque denique argumenti genus pertractent, omni laude cumulati poetæ nuncupentur. Si qui vero eo comptu carcent, illos nullo imitationis, nullo fabularum subsidio, hujus pulchritudinis inopiam compensaturos opinor. Tum B. ista mihi, inquit, mirifice probas: sed quanam in re potissimum hoc ipsum

ipsum linguiare dicendi genus collocas? Unde hunc tan-  
tum ornatum exoriri putas? Quibus tandem artibus uten-  
dum, ut hanc excellentiam, hanc præpotentem ac domi-  
nam animorum vim quispiam possit alsequi? Arduam,  
inquit A., ac difficilem omnino rem postulas, & quæ,  
cum caput totius artis ipsa sit, nulla arte fortasse tradi  
possit. Sed quibus a natura dati sunt quidam celeriores  
animorum motus, in iis certe magna insunt adjumenta  
ad hanc, de qua dicimus, præcellentem pulchritudinem  
comparandam. Sic enim censeo: peculiare hoc esse acrio-  
ribus quibusdam ingenii atque ad inusarum studia natis,  
incredibili ut sagacitate atque animadversione vigeant,  
ad varios rerum aspectus ut subito excitentur, atque ad  
earum imagines excipiendas agiles atque exppercti sint.  
Quæ cæteros languidius impellunt, ipsi acriter sentiunt,  
celeriterque arripiunt; omnes rerum gradus, discrimina  
omnia, varietates, similitudines, vim animadvertunt, in-  
terque se conferunt. In animis recenti hoc imaginum  
appulsi agitatis, eoque fervore raptis permultæ subito oriun-  
tur, atque inter se perinissentur rerum antea percepta-  
rum formæ, ex quarum mira coniunctione ipsis varie com-  
moventur, ad hilaritatem, ad mœrem inducuntur, in-  
flammantur, exardescunt. Neque vero hujusmodi rerum  
perceptio obscuriore quodam sensu concluditur, ut cum  
multæ in imperitorum etiam animos aliquando species  
influunt, neque causas, cur ita atfiantur, tenent. Hoc  
enim habent præstantiora ingenia, sumimam ut sentiendi vini-  
par intelligendi solertia consequatur. Inter illos rerum ap-  
pulsi, animique nostri motus, quæ cognatio intercedat,  
exquirunt: cumque ut nervos in fidibus, ita a variis re-  
rum formis varie animos percelli sciant, eorumque mo-  
tus tanquam chordarum sonos tristes, aut jucundos esse,  
quæ movendis atque in quamque partem inflectendis men-  
tibus aptiores sint imagines, vident. Atque ita in inti-  
mos animorum sinus, ac sensuum & cogitationum ortus  
penitus illapsi ad ipsos voluptatis ac pulchritudinis fon-  
tes perveniunt. Quam vim cum animo semel hauserunt,  
cultusque atque ornatus universos contemplati sunt, post-  
quam ad scribendum accesserunt, ad illius præclarum

spe.

speciem omnem dicendi rationem dirigunt, illius colore  
ac lineamentis omnia convelliunt. Perinde enim ut ipsi  
affecti sunt, ita nos movent, & quos in rebus cogitan-  
dis ipsi percipiunt impulsus, eosdem in explicandis ad  
nos transferunt, nobisque impertiunt. Tum B. ab alkissi-  
mis, inquit, & pulcherrimis initii poetarum præstan-  
tiam repetit, & pene ad similitudinem illius, qui in  
Platone est, opificis Dei formarum contemplatores & ef-  
fectores nobis poetas egregie describis. Quidni enim crea-  
re euodammodo res ac gignere censeantur, qui nos, in  
quas .eli.: cogitationes inducant, in quoquinque mo-  
vis inflectant, nolirosque sensus dicendo validius moveant,  
quam praetentes res ipsæ movere possent? Nimirum  
inde exora est eorundem illa vis ac virtus, atque  
inde profecta sunt illa miracula ac portenta, quibus no-  
bis hanc rerum aspectum formosiorum, & in ipsa natu-  
ra pu chriorem alteram naturam efficiunt. Hinc si ad nar-  
randos hominim eventus, vitæque casus se conferunt,  
tam variis luminibus distinguunt omnia, ut perjucunda  
ea ipsi dicendo prætent, quæ experiendo ob quotidiana-  
nam rerum sive pravitatem, sive satietatem, vitæ ipsius  
tardium nobis afferunt. Ipsæ ægritudines ac perturbatio-  
nes animorum, quæ tam acriter nos cruciant, si ab ipsis  
excitantur, gratissimæ sunt: suaviter nos angunt, ad do-  
lorem, ad misericordiam impellunt, metum denique, ac  
terrorem summa cum voluptate conjungunt. Quid quod  
magnitudinem, ordinem, varietatem, qualē frustra in re-  
bus exquirimus, ad nostra desideria suis ipsi imaginibus  
accmodant, & pene explent illam, cui nunquam face-  
re satis possumus, infinitam. animorum cupiditatem. Un-  
de cum admirabilibus eorum artibus detinemur, a com-  
muni vitæ contagione atque tadio ad quasdam beatorum  
hominum sedes videmur secedere. Sed nulla in re, in-  
quit A., mirabilior atque utilior eorum est opera, quam  
cum res a sensibus, intelligentiâque communi remotissi-  
mas nobis proprius admovent, & veritatem ipsam, ac  
rerum altissimarum cognitiones ad oculorum consuetu-  
dinem traducant, ac suavibus simulacris involutas in ani-  
mos inferunt, ut quæ cogitando atque intelligendo ase-

qui vix possumus, quasi intuendo teneamus. Consentanea nobis est hæc una maxime rerum cognoscendarum ratio, utpote cui diu a pueris nos natura ipsa assueferit. Atque iecirco a sensuum societate sevocare atque abstrahere animos, ac sequi simplex ac sincerum illud intelligendi genus sine labore non possumus, neque sine singulari jucunditate ad informationem naturæ ac sensuum conjunctionem revocamur. Ita ex ipsis angustiis, quibus animi obsequio & indulgentia corporis adstricti coercentur, poetæ egregiam & delectandi, & juvandi opportunitatem quæsiverunt. Hoc loco B., tu vero, inquit, illic, quo maxime optabam, rem deduxisti: hæc enim quæ postremo loco sunt a te dicta, Vidas scilicorum facultatem, unde digressi sumus, præsertim attingunt, undeque aperiunt errorem illorum, qui hos a misarum artibus propterea removent, quia res a sensuum usu longe abduetas, ac intelligentia comprehensas pertractant, atque ita in eo reprehendunt, in quo potissimum ipsis præstant. Nam si formarum illa ubertas, in qua præcipua vis carminis est posita, a rerum ubertate proficitur, undenam amplior poterit, quam a doctrinarum fontibus efflorescere? Quæ uoquam sedes pulchritudinis erit aptior, quam veritas, ac rerum plurimarum scientia? Ubi magis alitur animus, aut unde potest imaginum effectrix ingenii vis fecundior exoriri atque erumpere? Quippe in rerum maximum intelligentia defixa mens maiores etiam habet impetus, ut, quæ penitus intimeque pviderit, pulchre item splendideque efferat. Quare poetarum animos excitat hæc artium doctrinarumque cognitio, & quasi materiem viresque suppeditat illustribus illis simulacris, quibus asperas res ornant, obscuras ac difficiles illuminant, & quasi quibusdam insignibus variant, ac pene depingunt. Quanquam quæ pictura exprimere tam apte potest, tamque multipliciter, quæ poetæ interdum ex additionibus eruta naturæ latebris educunt? Nam omnis demum pingendi finendique ars quid aliud potest, nisi extremam tantummodo faciem ostendere, & commodiores rerum aspectus uno oculorum intuitu, uno temporis momento circumscriptos? Hi vero intimos corporum atque animorum recessus ap-riunt

riunt, mutationes omnes ac vicissitudines describunt, cæcasque res omnino atque ab aspectus judicio longissime abductas conformatio[n]e quadam ac figuris instruunt. Tum ego, sed si Didascalici, inquam, in suis versibus efficeret illæc omnia poslunt, quid jam erit ab eorumdem præstantia fabularum decessione detractum? Aut cur non æquo animo fictis illis commentis careamus, cum hæc eadem nec minus ubere ornamento compensent, nec ipsis fabulis fere dissimili? Hoc loco A, bene, inquit, narras, cum has poetarum formas ac dicendi figuras fabulis similes affirmas. Ex iis enim, quæ paulo ante commemorata sunt, tam inter se finitimæ atque atfines videntur, ut haud sciam, an eandem, sed certe parem utroque in genere vim inesse dixerim. Ac proinde valde iis assentior, qui omnes hos dicendi ornatus ab ipsis fabulis derivatos esse opinantur. Nam quid aliud sunt deinceps hæc simulaçra, ac figuræ, nisi breviores quædam fabulæ, quarum ambages quidem amputentur, retineatur vis ac lepor? Quid enim metaphoram esse dixeris, nisi meram, sed verborum ambitu contractam fabulam? Quid similitudines, nisi germanos apologos? Alias æque figuræ non obscure ab hoc fonte deductas, & fabularum, a quibus emparint, imagines ac exempla esse facile agnoveris. Miram, inquit B., neque antea mihi perspectam fabulas inter, ac figuræ cognitionem aperuitis, eoque magis probatis, quo ægrius, nescio quomodo, ferebam a Didascalicorum versibus omnino exclusas esse fabulas, quarum obscuritate in latebras illis tantum ademptas, juncunditatem pene restitutam esse video. Sed venit in mentem id a vobis exquirere, quomodo putetis oriri potuisse hanc ipsam inter fabulas, & has formas dicendi affinitatem? Nam neque casu hanc tantam similitudinem extitisse arbitror, neque invenio, cuius illud in hominum sermonem, & in scribendi elegantiam influxerit. Tum ego, quoniam, inquam, in terminis principiis inveniendis conjiciendo progredi oportet, verisimile hunc in modum sese rem habuisse videri potest. In populorum primordiis, atque agrestiore vita cum permulta nomina ac vocabula ad significandas res deessent, primum actione ac gestu fuisse

homines usos , prout ab iis fit , quibus intercepta sit fa-  
cultas loquendi ; sed cum haec ad sublevandam sermonis  
inopiam non sufficerent , fabulas tamquam picturas rebus  
designandis imagis accommodatas fuisse adhibitas . Nota est  
illa Menenii Agrippæ ad p ebeim , quæ in monte Sacrum  
secesserat , fabella , qua rudi populo , qui iustitiae , & ci-  
vitatis constituendæ neque vim neque nomen teneret , illa  
corporis humani membrorum inter se dissidentium imagi-  
ne utilitatem legum ac magistratum in animos intulit .  
In ipsis philosophiæ incunabulis eadem fabulandi industria  
sapientes usos scimus ad morum doctrinam imperitorum  
mentibus communicandam . Sermonis autem copia , ac rerum  
notitiis paulatim deinde auctis , quamvis eo praesidio pro-  
pter utilitatem instituto carere homines facile possent , ta-  
men cum non mediocrem inde consequuntam jucunditatem  
viderent , detracta etiam necessitate propter voluptatem  
retinuerunt Sed cum ad rerum obscuritatem , ac lon-  
giores sermonis ambages vitandas amoveri fabulas oportuit ,  
tunc circumcisus ambagibus , earum vim atque elegantiam  
in hos concinniores dicendi modos traduxerunt . Unde quod  
in scripturæ inveniendis elementis accidit , ut ipsæ rerum  
picturæ , quæ initio ad res designandas adhibebantur ,  
paulatim contractæ in litterarum notas transferint , illud  
idem etiam in hominum sermone videtur contigisse : nimi-  
rum ut fabulæ quasi cogitationum imagines ad rudiorum  
intelligentiam primo adhibitæ , deinde contraherentur in  
hos breviores dicendi comptus , quasi figuræ , quibus &  
communis sermo , & poetarum oratio præsertim esset ele-  
gantior . Nonne in paucis s̄epe verbis , & singulis fere  
vocabulis hujus originis vestigia , ac similitudinem deprchen-  
dimus ? Verum ego vos ab instituto sermone pene abdu-  
xi , dum a rebus ad verba revoco : quare ad reliquas  
formarum opportunitates , & Didascalicorum virtutes quæ-  
so pergit . Tum A. , imo , inquit , ad intimam formarum  
atque imaginum vim penitus inspiciendam , atque ad ipsas  
radices ac stirpes ejus , de qua dicimus , poetarum pul-  
chritudinis nos revocas , dum illius originem a verbis  
etiam ac vocibus repetis . Nam quæ deinceps alia hujus  
dicendi laudis elementa sunt , quam iithæc ipsa vocabula  
atque

atque nomina? Aut quo pacto conceptæ illæ atque inclusæ animis formæ erumperent, nisi cogitationibus nostris hæ vocum tanquam imagines resonarent? Atque ex hoc fonte sane effluxit illa verborum cum rebus similitudo, & illa propria poetarum hujus etiam imitationis exprimendæ facultas: hinc gravibus sonis ingentia, levia remissis, blanda suavibus, tristia miserabilibus referunt, & quotquot animorum motus sunt, totidem ipsis vocum mutationes, tanquam ad variandum colores occurunt, seque offrunt. Cum in hoc tam multiplici verborum apparatus illustriora atque ad res indicandas aptiora quæque feligunt, quid mirum, si uno verbo interdum magnopere nos impellunt? & quemadmodum ex unius lineæ du-  
 Et illud inter Apellem & Protagonem summi artificii certainen extitit, sic in uno vocabulo excellentium poetarum ingenia sæpe cernimus. Jam vero cum varie verba component, interque se jungent, conformabunt, transferent, quantus rebus ipsis ornatus, quantus ex hac structura & collocatione vocum orationi splendor adveniet? Eiusdem sententiæ species alio verborum sive delectu, sive ordine, quam erit præclarior? Sed his omnibus cum sese adjungeret numerorum concentus, atque harmoniæ vis, & omnes has & cogitandi & dicendi virtutes colligabit, ac vinciet, tum vero orietur illa concinnitas & suavitas carminis, quæ poetarum laudes perficit una maxime, atque absolvit. Hæc est, quæ in usitato ardore commovet animos, & quocumque incubuerit, facile pertrahit, quæ incredibili jucunditate perfundit, quæ plausus, quæ clamores efficit. Tunc ego paulum subridens, aīn vero, inquam, an vos ex præstantiore quaque arte subsidia ad poetas ornandos colligetis? Neque enim satis habuisti in formis conficiendis picturæ imagines ac simulacra illis impertiri, nisi nunc musices concentus, ac sonos etiam tribuat? Quid ni vero, inquit A., tribuamus, & cognatam illum humanis auribus atque animis harmoniæ rationem illis potissimum adjudicemus? Si inanes vocum flexiones, & nihil significantes tibiæ soni in nobis tam varios tamque jucundos motus excitant, quam validius animis illius harmoniæ vis dominabitur, quæ sonos verbis,

numerosque rebus conjunget, atque hac cogitationum  
 & cantus varietate aures unâ mentesque implebit? Nam qui carminis ac numerorum concinnitate plus  
 æquo delectati eo ulque adducti sunt, ut in ea sola poe-  
 ticæ vim omnem ponerent, illi mihi videntur, nec artis  
 hujus magnitudinem, nec ipsam concinnitatis rationem in-  
 telligere, cum eandem a fœbus distrahit. Siquidem non  
 citharœdum aut aulœdum aliquem insituimus, quorum  
 inanes etiam vocum soni per se possunt consistere, neque  
 de modorum quopiam artifice, sed de præcellente rerum  
 pulcherrimarum effector, ac dicendi moderatore inqui-  
 rimus. Cujus illa demum erit germana concinnitas, quæ ex  
 hac numerorum cum rebus ac sententiis consensione coale-  
 scet. Tum B. hac etiam ex parte, inquit, quanta Didascalicorum  
 virtutibus fiet accessio! Res enim ex philosophia  
 ac doctrinarum fontibus haustæ sane & numerorum co-  
 piam & ubiores sonos per se ipsæ parient. Sententiarum  
 vero illa vis quantum elegantia dicendi, & carminis  
 concentu augebitur! Sed hæc ipsa etiam suavitatis novi-  
 tas, atque insolentia quantam pulchritudinem, quantam  
 jucunditatem rebus adjicit! Inusitata hæc doctrinis in-  
 ducta species cum inde accidet, unde minus expectabatur,  
 quam erit hoc ipso gravior atque pulchrior! Simile  
 hoc videtur Graeci illius artificis industria, qui quo for-  
 mosiorem Venerem efficeret, in Satyri idcirco excavato  
 simulacro collocaverat. Ita deæ species ab ipsa circum-  
 positæ imaginis fertate comptior ac ventusior, a mollio-  
 re autem muliebri forma vastius viri robur, atque illi  
 lacertorum tori latiores videbantur. Sed aliud etiam inest,  
 inquit A., in hac veri docendi suavitate, quod ad sin-  
 gularem legentium delectationem valere plurimum opinor.  
 Illa harmonia vi, illa numerorum concinnitate quam  
 multarum in nobis rerum memoriam excitari necesse erit!  
 Quot latentium veritatum igniculos ac semina commoveri!  
 Hinc quæ intelligemus, magis a nobis ipsis inventa, quam  
 lecta putabimus, plura nobis comprehendti, quam explica-  
 ta sint, mirabimur. Quam hæc nos nostri diligentes mire  
 rapient! Quam ingenio nostro delectati satis docti nobis vi-  
 debimur, nobisque placebimus! Quam vero divinos, ac  
 hu-

humana majore vi præditos hujusmodi poetas arbitrabimur, qui cum inusitata omnia ac peregrina nobis afferant, tum nos ipsos solito beatiores, ac doctiores pene faciant!

Tum ego, video, inquam, didascalici carminis tuendi studio nos esse fortasse plus æquo abreptos. Cum enim Didascalicos in poetarum civitate initio vix retinuerimus, paulatim ad primos subselliorum gradus adducimus, & jam cum ipsis credo majorum gentium poetis fere contendimus. Tunc A. equidem, inquit, neque turbas metuo ab his minime ambitionis civibus, neque ullam arbitror, aut certe levem esse posse contentionem ordinum inter se dissimilium. Scjunctæ cuique sunt sedes, dispare carminum gradus, varia rerum discrimina intercedunt. Neque enim eosdem impetus omnia, nec eosdem spiritus postulant. Epicci siquidem illustrium virorum gesta concinunt; patrias res etiam ab eorum versibus cognoscimus, regna ac gentes, quibuscum multa nobis communia sunt jura, discimus. Quæ quidem omnia & ipsa rerum magnitudine nostros sublimium atque admirabilium appetentes animos valde capiunt, & nostra magnopere intersunt, nosque proprius attingunt. Temperator autem dicendi modus, veritatis nimirum docendæ, didascalicis poetis erit adhibendus. Verum, si Epicorum vires eisdem minus convenient, non idcirco sui etiam illis comptus venustatesque defunt. Menander Homeri similis esse noluit, neque vitio sibi datum putavit, si propriis contentus dotibus, alienis careret. Tum B. an, inquit, Didascalicos, quoniam in remissiore scribendi genere versantur, idcirco ab omni sublimium rerum magnitudine arcebimus? An solis Epicis ingentium hujusmodi argumentorum omnem apparatum tribuemus? At ne illi quidem ipsi in eadem semper magnificentia versantur. Iliadem dicendi vi ac magnitudine Odisea uberiorem ipsa rerum magnitudo ac dignitas faciebat: nec iis assentior, qui Homeri magniloquentiam cum ætate consenuisse existimant; sed πολὺτεροι οἰνοφύλαξ grandiorum opinor sonos etiam maiores sua sponte protulisse. Verum quot genera hujusmodi sublimium rerum perstrati a Didascalicis possunt, quæ ipsis Epicorum argumentis nec admirationis minus habeant, hec nostra minus

nus intersint? Si de virtute atque honestate, si de moribus ac legibus, si de administranda civitate dicere instituent, quæ series, quæ ubertas orietor rerum magnificientissimarum? Sed si Empedocleam illam rationem ve-  
llint persequi, ac de rerum natura & causis dicere, quid esse poterit ad agendum amplius, quid hæc mundi uni-  
versitate majus, quid nobis opportunius? Illæ Græcorum concertationes, atque ipsa Romani Imperii constitutio, quam minutæ res atque angustæ videbuntur, quam ad nos fere nihil pertinentes, si huic tantæ magnitudini, totque commodis conferantur. At de illâ, inquit A., mag-  
nitudine, atque utilitate rerum agimus, quæ sensu ipso per se gignitur, suaque sponte nos excitat. Sint enim hæc, quæ de naturæ causis atque effectibus dici possunt, magna æque, nobisque percommoda, num tamen idcirco perinde nos tangent, atque hominum res, quæ communione quadam naturæ nobis tam finitimæ sunt ac propinquæ? Proinde quis unquam sidetum, & cæli conversio-  
nes æque, atque civitatum motus ac mutationes ad sepe pertinere existimat? Nuda scilicet ac vacua omni animo-  
rum perturbatione ista sunt, neque propterea cum illa humanarum rerum utilitate comparanda, quæ cum sua-  
vibus hisce motibus tam arête conjungitur. Nostri enim, quem iustum habent, quo pellunt animos, falsæ illæ at-  
que inanes affectiones; quam jucunde agitamus, cum amamus, cupimus, expavescimus. Similitudine rerum ab-  
senti nos ipsos in illis fortunæ commutationibus versari fere credimus, & affinitatis quadam conjunctione com-  
movemur. Hæc ab ipsis naturæ initiis profecta, & in omnium insita sensibus subito nos excitant; illa autem, quæ tam longe a nobis remota intelligendo ducere me-  
diçando vix assequimur, aut nullos aut lertos certe, ac desideres motus affluerunt. Tum B., at ista, inquit, si ita vi-  
detur, accuratius exquiramus: fortasse enim nec tam se-  
gniter nos ab iis rebus moveri compariemus, quas intel-  
ligendo meditandoque intime percipimus; nec ab iis ipsis, quæ communibus insixa sensibus videntur, impelli-  
nos acriter cognoscemus, nisi cum easdem antea animo &  
cognitione probe perspexerimus. Quid enim quempiam.

nulla cognitione instructum , nisi pene stipitem aut bel-  
luam ad pastum abjectam censeas ? Earum quippe  
etiam rerum , quarum peculiares nobis conciliationes na-  
tura fecerit , facile tum sensus hebescit atque extinguitur ,  
cum nullo usu intelligentiaque excitatur . Proinde , si qui  
ab omnium societate sejuncti in montibus ac sylvis nati  
atque alti sunt , ipsos hominum occursus fugiunt , & om-  
nem naturae conjunctionem abrumpunt . Quo autem quis-  
que est societate & convictu hominum excultior , & suæ  
& cæterorum utilitatis intelligentior , eo acrius illius con-  
junctionis vi capit , & reliquorum opis atque auxilii in-  
digentem se videns ad opitulandum aliis est propensior .  
Primo suæ ipse civitatis , deinde finitimarum , demum  
omnium gentium propinquitate devinctus , humani nihil  
a se alienum putat ; regionum etiam remotissimarum res ,  
moresque inquirit , casibus fortunisque movetur , tantum  
denique caritate ac benevolentia , quantum cognitione pro-  
greditur . Verum si idem rerum cognoscendarum limites  
non terræ finibus terminaverit , sed eo usque intelligendo  
perrexit , quoad animo & cogitatione potest pertinge-  
re ; si non solum fluxa hæc & brevia , sed immensa etiam  
ac perennia mundi corpora , corumque ingentes illos  
cursus conversionesque viderit , quam se ille repente e  
socordia colliget , ac recipiet , & hujus tantæ magnitu-  
dinis animadversione excitatus , quam se antea hospi-  
tem ac peregrinum in hac naturæ universitate fuisse mi-  
rabitur ! Cumque se non unius loci popularem , sed mun-  
di ipsius tanquam ingentis municipii civem agnoscat , quam  
illum fere pœnitabit rerum atque commodatum omnium ,  
quæ angustis nostrarum urbium ac regionum spatiis coar-  
ctantur ! Quam nihil majus reputabit , nihil quod nostra  
magis intersit , quam hunc tam ingentem rerum omnium  
ac tam præclarum ordinem ! Peragrare tum sibi immen-  
sos naturæ fines videbitur , ac supra hominis fortunam  
ac vitæ conditionem erigi ; neque enim annorum brevi-  
tate atque imbecillitate corporis , sed animorum com-  
prehensione , & scientiarum amplitudine vivendi rationes æsti-  
mabit . Qua rerum admiratione qui semel rapti sese iis  
cognoscendis implicuerunt , ab iisdem divelli vix unquam

patiuntur. Neque enim si tranquilliores, ac minus turbulenti sunt, quam cæterarum cupiditatum, hi scientiae motus, minus alacres idcirco atque ad alliciendas mentes validi sunt illius impetus. Siquidem insatiabili, quod nobis a natura est inditum, sciendi desiderio, sine summo jucunditatis sensu facere satis non possumus. Hinc ambitionum illecebras missas faciunt, non odio, non metu, non voluptate alia a semel instituto studio detorquentur, vita ipsius pericula contemnunt, aut minime sentiunt. Quod qui fieret, nisi hic veritatis querendæ ardor cæterarum omnium cupiditatum vim antecederet? Atque inde profectæ sunt illæ nobilium etiam philosophorum sententiae, in veritatis cognitione summum bonorum finem statuentium. Ad hanc scientiae vim cum suavitas carminis accedat, quam validiora erunt hæc ipsa invitamenta naturæ? Quam labentur vehementius, tanquani amentatae hastæ, & quam altius intimis sensibus inhærent? Hanc igitur scientiae ac humanitatis societatem si Didascalici sequentur, quid est, quod illis singularem movendi & delestanti opportunitatem non concedamus? Quid enim aliud indicant illi Sirenum cantus, qui ab Homero tam valentes ad sapientis animum fuisse memorantur, ut Ulysses de suis, suorumque fortunis periclitari mallet, quam cantus, qui ubereum rerum scientiam polliceretur, suavitate carere? Quid a Virgilio convenientius repertum est epulis Conditorum Romani & Cartaginensis Imperii, quam illud ab Atlante traditum, de stellarum cursu, ac rerum causis Carmen? Nempe ut declararet optimo cuique, doctrinam cum elegantia conjunctam esse jucundissimam. Tum ego, magnifice, inquam, hæc a te dicuntur; sed si rem ipsam proprius intueare, vereor, ne repente dilabi hanc tantam jucunditatē invenias, & hos Sirenum cantus ab auditoribus pene vacuos ac desertos relinquas. Quotus enīt̄ quisque ad hæc quæso se conferet? Si iis rebus moventur homines, quas intelligunt, videtis, quam pauci sint, qui horum scientia trahantur. Atque hi quidem ipsi, nisi humanitatem litterarum cum doctrina conjunxerint, haud scio, an hæc ita versibus exornata facile respuant. Quo igitur recidet ea tanta gloria suavitas, quæ ipsa

ipsa audientium infrequentia palam refellitur? Quod es magis in hoc scribendi genere erit reprehendendum, cum Poetæ & utilitatem plurimorum maxime spectent & voluptatem? Tum A., at cur inquit, a Didascalicis flagitabimus, ut quæcumque litteris mandaverint, ad omnium intelligentiam accommodentur? An iis duriores scribendi leges, quam cæteris omnibus imponimus? Quasi vero qui ornatos ac venustos se esse velle profitentur, continuo eos oportent facile item ac dilucide omnibus dicere, atque hebetiorum etiam ingenia acuere. At cur non illud idem a cæteris compte & jucunde scribentibus expetimus? Qui quidem scribendi officio facere satiis putantur, si a peritis earum rerum, de quibus agunt, probentur. Qui historiis scribendis dant operam, cum de regionum situ, de instruenda acie accuratius dicunt, ab iis fere solis, qui locorum descriptiones rite teneant, & militari scientia instruti sint, intelligi probe possunt, neque tamen præclare conscriptæ historiæ laude carent. Nemo Aristotelem, nemo Platonem non inter summos egregie dicendi magistros collocat, tametsi a doctissimis tantummodo legantur. Ipse latinaræ eloquentiæ parens Cicero non minorem opinor propterea sibi laudem comparavit in iis, quæ de philosophia eximie scripsit, quia a paucioribus cognoscuntur. Sed discedamus a philosophis, ad poetas veniamus. Ipsum illud insolens eorum dicendi genus, & aliena pere, qua loquuntur, lingua, quid magis declarat, 'quam fugiendæ multitudinis consilium? Nonne aperte istud etiam indicant, cum identidem profanum atque imperitum vulgus a suis versibus arcendum denunciant? Quod eo magis mirandum est, cum in rebus in communi intelligentia positis idem faciunt, & peritioribus placendi studio has ipsas a populi judicio removent. Non est necesse commemorare multos. Quis Pindaro in rebus facillimis difficilior? Sed num idecirco non illum inter poetarum principes numeramus? Quanto magis igitur Didascalicis id erit dandum in rebus altissimis, & suæ naturæ a multitudinis usu abhorrentibus? Nisi forte, quod in levibus etiam argumentis concedimus cæteris, in philosophia non ipsis dabimus, ut peritissimis placeant. Nam quod ne doctis quidem ipsis patere pro-

inīcū aditum ad suos versus sinunt, sed præstantiorū tantummojo suffragia postulant, quis hoc in illis Jure reprehendat? Cum Socratis olim laudi fuerit, quod iis tantummodo scriberent, qui essent & philosophia & politioribus litteris exculti, cur non idem consilium in his artium docendarum poetis erit æque commendandum? Si eos sibi judices feligent, qui doctrinas cum humanitate conjunxerint, reliquos vero quasi non satis musarum ritu initiatos rejicient, quis non auditorum paucitatem eorumdeni dignitate probe compensatam existimet? Si quæ quis scriberet, probare optimis posset, quid jam plurimorum sententias quæreret? Musarum enim cultus, si demum sunt maximi, qui & doctrinis ipsis lucem ac splendorem afferunt, & præstantiora ingenia perficiunt, ac illustriore loco statuunt. Hic ego, vos vero, inquam, egregie Didascalicorum rationes defenditis, & quibus in rebus verebar, ut mihi non satis eorum causam probaretis, ibidem valere eos plurimum persuadetis. Jam enim fateri cogitis singularem inesse posse in eorumdem versibus præstantiam, & quæ cuin ipsis epicis facile possit contendere. Tum B. sed ne plus æquo Didascalicis, inquit, videamus tribuerē, ad illam normam, si placet, rem perpendamus, qua una fere in cæteris artibus ætimandis utimur; nimiriū quo quæque acriorem animi vim atque ingenii aciem postulant, eadem ut majore etiam in laude sint. Quem enim alium modum in judicio de artibus ferendo adhibemas, cum præ hac ingenii existimatione nullam interdum ne utilitatis quidem ipsius, ac vita necessitatis, quæ cæteroquin tanquam finis artibus est propositus, rationem habeamus? Quis enim signa ac picturas egregie laboratas, ob eam utilitatis inopiam minus magnificat? Aut poetarum labores ob solam dicendi excellentiam, non philosophorum, ac mathematicorum etiam inventis conferat, cum utraque parem animi soleritiam in dissimili genere præferant. Si ad hanc igitur legem Didascalicorum conatus exigemus. facile, opinor, cæteris eosdein præferemus, qui in hac ingenii contentionē duas habent excellendi partes, duplēcēque commendationis causam, alteram a dicendi laude, alteram a rerum præstantia deductam. Ac de dicendi quidem lau-

de satis esse arbitror, quæ hactenus sunt commemorata. Quod ad res ipsas attinet, certe non minorem ingenii vim declarant. Nam quæcumque in promovendis doctrinis excogitata ab aliis, atque inventa divinitus fuerunt, dum illi in bono lumine collocant, atque eo Musarum ornatu distinguunt, tam miram ac singularem rebus speciem afferunt, ut parem iisdem rerum auctoribus ingenii sibi gloriam vindicent. Quidni enim in eniendi pene laudem promereri ii possint, quorum egregio dicendi artificio quæcumque exposita sint, continuo eadem nova omnino, & nunquam antea aut lecta, aut audita videantur? Quare quæ tam præclara erit Epicorum & Tragicoruni opera in fabula rite constituenda, atque in rebus, quas quis gessit, apte disponendis, quæ hoc admirabili rerum contextu a naturæ ipsius fonte deducto, ac Musarum comptu exornato non obscuretur? Tum ego, sed vide, inquam, quid hoc constituendæ fabulæ nomen valeat, ne ejus significationem, quo minime est æquum, trahas, si propriam Epicorum in recta rerum constitutione laudem cum Didascalicis communices. Quid enim quæso commune habet cum eo, quem Didascalici sequuntur in rebus apte collocandis ordine, hæc, de qua est sermo, rerum, sive fabulæ constituendæ ratio? Nostrî eam totam Epicorum, ac Tragicorum virtutem esse, qua omnes poematis partes mira rerum consensione constringunt, unamque rem efficiunt. Quorum artificium in eo nimis rursum versatur, ut summa varietate distinguant omnia, rursus eadem ut inter se nestant, & posteriora prioribus, quæ præcedunt, consequentibus ita colligent, unum ut exitum cuncta respiciant, atque ad eundem referantur, demum ut loco etiam ac tempore congruant. Cujus quidem rei tanta vis est, ut cæteræ etiam artes illam admiratae ad se traduxerint, nec in pictura, nec in architectura præclarum quidquam esse possit, quod non ex hac partium conjunctione efflorescat. Sed ab ea laude Didascalicos suapte natura longe removeri vides. Ob ipsam tam multiplicem ac variam rerum inter se plerumque disjunctissimarum tractationem quo pacto possunt adipisci illud unum & simplex, de quo nobis est sermo? Aut si id quoque modo consequentur, isthæc incers materiæ conjunctione

junctio , quam unam assequi illi possunt , num satis pellet animos , & cum illa actionis consensione , quam Epici sequuntur , conferri poterit ? Tunc B. , At , inquit , si opifices etiam , ut dictum est a te , hanc partium inter se consentientium , atque ad unum finem spectantium pulchritudinem in suis artificiis conantur imitari , cur eandem Didascalici , si propriam minus habeant , non item mutuentur , ad seque transferant ? Quod Pistoribus , Architectis , Musicis concedimus , cur illis invidebimus ? Nam si ex ipsa rerum conjunctione potest illa carminis colligatio proficiendi , qua ex re aptius eadem , quam ex his Didascalicorum argumentis oriatur ? Quod unquam facinus , quae hominum actiones possunt tam multas , ac tam varias res tam apte colligare atque connectere , quanta conspiratione & consensu tot ingentia interque se remotissima corpora gravitatis vi constricta , quasi illo pythagoreo Jovis carcere inclusa , in hujus universitatis molem unumque mundi corpus coalescunt ? Sed haec ex inertis materiae coagulatione conflata consensio si tibi non satis accommodata videtur ad illam assequendam pulchritudinem , si non corporum se varie moventium concordia putas unum illud effici , quod alicet animos . sed actione opus esse varia , praestante unius consilio directa , unum ad finem conversa , uno temporis , locique termino circumscripta , nihilne consilii subesse existimas in iis ipsis tam bene convenientibus motibus ? Ex hac ipsa materiae conjunctione nullane erumpit , seque prodit ratio atque intelligentia ? Cum hanc rerum molitionem , ac naturae ordinem numeris , & carminis vi patet factum intuebimur , non in animum irruet , ac sensus omnes occupabit actio varia , multiplex , infinita , una eademque simplex , integra , absolueta , rationis ac sapientiae plenissima ? Quis auctorem ac moderatorem operis non subito agnoscat , nec rerum æque , & carminis πεωταγωισν Deum esse perspiciet varias corporibus vires , potestatesque adjungentem , atque his tanquam administris hanc rerum summam stabilientem ac servientem ? Num solemnem etiam ac justam tam ingentibus rebus continendis loci , ac temporis circumscriptionem desiderabit ? Nam si annuo ac diurno solis circuitu , ac urbium , & domorum ambitu hujusmodi actionis

nis comprehensionem coarctari minime posse intelliget, tamen alios inveniet magis consentaneos tanto operi attributos esse fines, temporum omnium diuturnitate, & spatiorum longinquitate circumscriptos, ipsius videlicet naturae immensitate prorogatos. Sed quid diutius in hac epicī & didascalici carminis comparatione insilimus? Quid in his immoramus, quasi dubitemus divina humanis anteponere? Tum ego, Tu vere, inquam, dum Didascalicis tantam rerum magnificientiam tribuis, sublimius quoddam carminis genus ab iis postulas, quam quod hominum ingenii convenire possit. Si in cœtus, & concilia deorum musas introduci oportet, nullum certe esset, quod illis dari posset, neque maius, nec diis auditoribus dignius, quam, quale est a te adumbratum de rerum ordine ac mundi conformatione Carmen. Cur vero, inquit A., non censemus etiam inter homines versari posse divinos eisdem cantus, si præclara hæc argumenta Didascalicorum studio eo usque recolantur & celebrentur, quoad perducta sint ad eam excellentem formam, quam & recipere ipsa possunt, & carminis vis sustinere? Num enim communibus ac vulgaribus exornandis rebus tantummodo poetæ præstant, in majoribus vero omnibus corum industria concidet atque diffluet? Num magnopere nos capient concinendis tenuiorum etiam hominum casibus, quorum ignotam nobis antea fortunæ conditionem præter expectationem recognoscimus, cum vero abditas atque obscuras rerum causas, descriptionemque naturæ nobis aperient, neque satis alligere neque detinere nos poterunt? At si tanta est in poetarum artibus vis illius, quam *αναγνωστῶν* vocant, nos agnitionem reddere possumus, in nullis aliis eadem certe melius, quam in Didascalicorum cantibus enitebit. Nunquam enim mihi persuasum erit ullis inopinatis ac mirabilibus hominum casibus nos tam jucunde posse affici, ut ex maximarum rerum ac naturæ ipsius agnitione non multis partibus uberiorum voluptatis fructuum capiamus. Cum igitur ortus a principia intelligemus rerum hujusmodi, quarum vim atque effectus ignotis etiam causis mirabamur, cum iisdem subesse legibus, & certo & constanti cum reliquis omnibus ordine nexa atque aptata illa videbimus, quæ

discrepantia rebamur, interque se pugnantia, & quorum non intellectis antea motibus perturbari cætera penè timentebamus, quænam erit unquam ex aliarum rerum agnitione profecta delectatio, quæ non hujus tantæ voluptatis copia superetur? Quæ mutationes, qui repentinæ eveniunt ex ignotis antea cuiuspiam parentibus præter opinionem compertis derivati tam suaves esse possunt, ut parres sint huic cognoscendi jucunditati; cum quoad animo consequi possumus, longissimam illam causarum aliarum ex aliis succedentium seriem intelligimus, earumque inter se, & cum iis, quos gignunt, effectibus tanquam propinquitates & cognationes ediscimus? Tractantur hæc ipsa quidem ab aliis etiam disciplinis, explanantur, docentur. Sed ut Phidias ex Homeri versibus pulchriorem hausit Jovis Olympii speciem, quam nunquam antea ex ulla aliorum corporum formis comprehenderat, sic hunc naturæ ordinem ex Didascalicorum numeris formosiorem atque augustiorem exoriri agnoscemus, quam ulla antea aliorum opera perfectum vidimus. Ex horum enim disciplinis ad poetarum artificia delati tanquam e rudibus tectis in ampla ac illustria domicilia, ebore, auro, picturis instructissima, virgulâ illâ Minervæ repente traduētos nos esse mirabimur. Quippe soli demum poetæ vitam atque animum rebus, ac divinitatem fere quamdam tribuunt. Cum hæc suis illi comptibus attigerunt, non intervalla corporum tantummodo, magnitudines, celeritates cognoscimus, sed ad ipsam naturæ molitionem coram intuendam adducimur, interesse operi, motus, conversionesque contemplari nobis videbimur, divinarum denique actionum consiliorumque testes, ac spectatores assidemus. Nullos alios ego quidem poetarum conatus, non scenas, non theatra huic tantæ pulchritudini comparo: Sed nimis longe nos suscepimus disputationis ardor abducet, si cætera persequi volumus. Nam & Familiares nostros brevi huc adfuturos opinor, qui si nos in eadem disceptatione deprehendent, aut ad redintegrandam controversiam adigent, aut exclusos se ægre ferent. Quare quæ reliqua sunt, si ita videtur, in aliud tempus differamus. Cui cum assensi essemus, vultum & orationem ad reinfforis sermonis urbanitatem traduximus.

